

comparando ipsas leges, secundum quas intensitas galvanica a varia constructione apparatus galvanici pendet, eruere studemus, cum primo juncturae momento ob brevitatem a mensura excluso, non separare liceat, quid in actione galvanica progressa primae intensitati, quid decremento successivo debeatur. Omnino nihil impedire videtur, quo minus hanc difficultatem eo eludamus, ut pro variorum circulorum apparatu potius variam ejusdem circuli instructionem comparemus, tum demum perpetrata, cum ad statum aequabilem jam deventum sit. Sit v. c. lex examinanda, secundum quam minuto electromotorum numero effectus minuatur, non necesse videtur relationem effectuum observatione persequi, qui a duobus circulis, ex diverso numero electromotorum constructis exercentur, cum eidem circulo composito sensim plures electromotores detrahendo comparisonem desideratam tempore opportunissimo instituere liceat. Sed nova objectio inde oritur, quod omnis circulus, qui jam ad statum satis aequabilem pervenit, quocumque dein modo instructio ejus mutetur, dispositionem ad novam spontaneam variationem acquirit, ita ut statim post mutationem factam vel augmentum, vel decrementum intensitatis sensim procedens denuo plerumque observetur. Ergo eadem difficultas, quae obstat, quo minus actione chemica ad mensuram primis post juncturam effectam momenti utamur, redit, si experimenta ad statum circuli aequabilem traducendo mensurae exactae desiderio consulere studemus. Fatendum quidem, hanc spontaneam variationem, a mutata instructione circuli oriundam, non semper tam conspicuam esse, ut mensuram, etiam quae paullo longius temporis intervallum requirat, plane excludat, id quod Bischoffii experimenta docuerunt, sed nec accurati nec plane certi quid inde expectare licet ad comparandos effectus diversarum conditionum apparatus, ad quos potius mensura quaerenda, quae tam parvo temporis intervallo absolvatur, ut variatio actionis spontanea, intra hoc ipsum intervallum procedens, negligi queat. Haec considerantibus si parum utiles videntur effectus chemici circulorum galvanicorum ad comparandam variatae instructionis eorum efficaciam, tamen opportunissi-